



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. quid Distinctio Realis, Physica, & Modalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

lum, non est idem ac Petrum esse non Paulum, vel Petrum esse Petrum; sed illa est negatio, quæ est formaliter distinctio; & consequenter Petrum non esse Paulum, est, Petrum esse distinctum à Paulo.

CXXII. Superurgebis, Petrum esse Petrum, est negationem Petri non esse: quia opponuntur contradictoriè tanquam negatio & habitus; sed negationem Petri non esse, est, Petrum non esse Paulum & cætera quæ non sunt Petrus: ergo Petrum non esse Paulum est Petrum esse Petrum; ac per consequens, totum positivum, licet negativè expressum, nulla negatio. Probatur minor: quia negatio Petri involvitur in Paulo relativè sumpto ad distinctam personam & cæteras, quæ non sunt Petrus: ergo negationem Petri non esse, est Petrum non esse Paulum & cætera, quæ non sunt Petrus; ac per consequens, est, Petrum non esse Petrum.

CXXIII. Respondeo, concessa maiore, negando minorem; quia negationem Petri non esse, non est, Petrum non esse Paulum, & cætera: quia ibi est duplex negatio, hæc verò una dumtaxat, ut patet ex præmissis: sed est, Petrum esse indivisum à se, esse id, quod est, &c. quod abstrahit ex parte intellectus & objecti sive Petri, ab eo, quod Petrus sit vel non sit Paulus. Ad probationem minoris, concedo antecedens: nam ideò dicimus, Petrum esse non Paulum, &c. esse idem ac negationem Petri non esse, Petrum esse Petrum, &c. quia negatio Petri involvitur in Paulo relativè sumpto ad personam distinctam, &c. ita ut, Petrus est non Paulus, sit idem ac, Petrus est non divisus, est indistinctus, &c. à Petro. Nego tamen consequentiam; quia, Petrum non esse Paulum, dicit negationem identitatis inter Petrum & Paulum, à qua, negationem Petri non esse, sive Petrum esse (quod idem est) abstrahit ex parte actus & objecti, ut diximus. Ex his

CXXIV. Colliges 1^o contrà PP. Vasquez, Hurtadum, Oviedum, Comptonum recenter & alios, distinctionem formalem objectivam esse quidpiam purè negativum, sive puram negationem; non verò ipsa positiva extrema (in quibus fundatur) negativè expressa; nam ens quodlibet, ut unum dicit esse, & non esse aliud, ita tamen ut possit concipi esse ex parte actus, quin concipiatur non esse aliud; ut vel ipsa experientia docet: & ratio est; quia sunt duæ rationes diversæ incluse in uno; 1^a enim est positiva, & dicit esse indivisum à se; 2^a negativa, & dicit esse divisum ab alio. Vnde aliud est Petrum esse, aut Petrum esse non Paulum, ac Petrum non esse Paulum: ac per consequens prius est Petrum esse unum secundum rationem positivam unius, quàm secundum negativam ejusdem unius, quod utramque illam rationem involvit.

CXXV. Colliges 2^o distinctionem hæc non sumi pro actu intellectus vel alterius potentie unum ab alio formaliter extrinsecè distinguuntis; sed pro negatione identitatis inter duo extrema, quæ ab extremis seipsa distinguatur, & è contrà extrema ab ea seipsis; quod etiam contingit in unione, quæ (ut potè causa formalis uniti, uti dicta negatio distincti) seipsa extremis unitur, & extrema seipsis illi uniuntur; potest tamen dici, extrema ab illa negatione per illam negationem distingui, quia est formalis ratio se ab aliis, & alia à se distinguendi: sic enim subiectum dicitur esse in eodem loco cum suo ubi per suum ubi; quia ubi est formalis ratio se, & alia à se constituendi in loco.

CXXVI. Colliges 3^o distinctionem opponi iden-

titati, sicut unitas opponitur pluralitati, scilicet contradictione; nam sicut unitas dicit essentialiter negationem pluralitatis; ita distinctio dicit essentialiter negationem identitatis: ac proinde sicut Petrus est idem secum, quia indivisus in se, & vera est hæc propositio, Petrus est formaliter Petrus; ita Petrus non est idem cum Paulo, quia est divisus à Paulo, & vera est hæc propositio, Petrus non est formaliter Paulus.

D V B I V M I I.

Quomodo Distinctio in genere dividatur.

CXXVII. **A**ntè Resolutionem Suppono distinctionem realem in rigore variè sumi: 1^o prout media est inter rem & rei negationem: 2^o prout media est inter rem & rem antè intellectum & in actu signato: 3^o prout media est inter rem & rem post intellectum & in actu exercito rationis-ratiocinatæ aut rationis-ratiocinantis unum ab alio distinguuntis: hæc enim, licet communiter dicatur rationis, realis tamen est, prout reale opponitur ficto. Hoc supposito sit

R E S O L U T I O.

CXXVIII. **D**ico distinctio in genere rectè dividitur 1^o in realem (sumendo ly *realem* secundo modo) & rationis: Realis verò subdividitur in modalem & Physicam: Rationis autem in Rationis-ratiocinatæ & Rationis-ratiocinantis.

CXXIX. Dividitur 2^o in adæquatam & inadæquatam: 3^o in intrinsecam & extrinsecam: 4^o in positivam & negativam.

D V B I V M I I I.

Quid Distinctio Realis, Physica, & Modalis.

R E S O L U T I O I.

CXXX. **D**ico, Distinctio Realis in genere opponitur Distinctioni rationis; & est, quæ mediat inter rem & rem antè operationem intellectus: ut inter Petrum & Paulum, modum & modum, & modum ac ejus modificatum. Dixi *inter rem*, ubi per rem intellige rem latè sumptam, prout tamen dicit esse quidpiam existens antè operationem intellectus, sive existat tanquam ens solæ entitatis, ut Petrus, & res quælibet itricte sumpta; sive tanquam ens tenuis, & debilis entitatis, ut unio, & quilibet modus.

Signa Distinctionis Realis.

P R I M U M.

CXXXI. **P**rimum signum infallibile distinctionis Realis pro creatis, sit *capacitas prædicatorum contradictoriorum*, ut album non album, stans non stans, &c. unde rectè sequitur, Petrus stat, Paulus non stat, ergo Petrus & Paulus distinguuntur realiter: ad hoc autem signum rectè reducitur aliud, videlicet, *Quorum unum perire potest, altera remanente*, quod videtur Augustini 6. de Trinit. cap. 6. & Aristotelis 7. Topic. cap. 1. si potest alterum sine altero